

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7226

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Avertin, Notre-Dame de Bois-Rahier, dépendance Grandmont (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1175-1179]

Lieu d'émission : Northampton

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Charte pour les religieux de Grammont établis à Bois-Rahier.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DXLV, t. 2, p. 120-122.

Dissertation critique

« Fin de 1175 – 1176 ou 1179 » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 121. Souscriptions de Jean, évêque de Norwich depuis la fin de 1175, et de Richard de Lucé, disgracié en 1176, mort en 1179. Henri II, absent d'Angleterre à la fin de 1174, y est rentré en mai 1175.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, justiciis, seneschallis, prepositis et omnibus baillivis et fidelibus suis, salutem.

Sciatis nos, intuitu Dei et pro salute anime mee et animarum omnium antecessorum et successorum meorum, et pro stabilitate regni mei, dedisse et concessisse et presenti carta confirmasse Deo et Beate Marie et fratribus Grandimontensis ordinis locum de Bosco Raherii et totam terram et totum nemus, sicut exteriora fossata ipsorum undique concludunt, dividunt et distingunt, ad utendum pro voluntate sua, et quicquid eis placuerit faciendum, ita quod in predictis, scilicet terra et nemore, nullam justiciam nec aliquod dominium nec aliquid juris nobis vel heredibus nostris, vel etiam successoribus nostris retinemus. Dedimus etiam et concessimus fratribus supradictis per totam forestam nostram de Bosco Ogerii prope Lochas, et per totam forestam nostram de Caynone, et per totam forestam nostram [de] Brussennayo, usuagium suum, ita quod dicti fratres in dictis forestis, cum omnibus deffensis earumdem factis vel faciendis, a nobis vel successoribus nostris indifferenter capiant et explectent quidquid ad usum et edificationem ipsorum et domorum suarum et omnium pertinentiarum suarum viderint expedire. Dedimus etiam et concessimus dictis fratribus in dicto loco habitantibus trecentas libras Andegavensium, singulis annis percipiendas et habendas, scilicet apud Lochas de foagio nostro centum libras ad Assumptionem Beate Marie, et apud Turones de firma nostra centum libras, scilicet quinquaginta libras ad festum Penthecostes et

alias quinquaginta libras ad festum Omnium Sanctorum, et apud Caynonem de firma nostra quinquaginta libras, scilicet XXV. libras ad Penthecosten et XXV. ad festum Omnium Sanctorum, et apud Maietum de censibus nostris XXX. libras ad festum Beati Martini hyemalis. Preterea dedimus fratribus supradictis minagium Caynonis, et totum dominicum nemus nostrum in Esplanta desuper ponte Beucasii cum fundo et bera, et quidquid juris et domini in eisdem habebamus, ita quod in predictis, scilicet minagio, nemore et bera, nullam justitiam nec aliquod dominium nec aliquid juris nobis vel successoribus nostris retinemus. Dedimus etiam et concessimus predictis fratribus duos homines apud Turon[es], et unum apud Montem Basonis, et alterum apud Cormeriacum, successive, liberos et immunes in toto regno nostro, tam in aqua quam in terra, ab omnibus coustumis et exactionibus ad nos et heredes et successores nostros spectantibus, scilicet tailliagio, pontagio, teloneo, passagio, pasnagio, minagio, fossagio, exercitu et equitatu et omnibus aliis exactionibus, cujuscunque sint generis. Quare volumus et firmiter precipimus quod predicti fratres dictas elemosinas nostras, expresse superius nominatas, habeant bene et in pace, libere et quiete, plenarie et integre et honorifice, sicut eas eisdem dedimus et presenti carta confirmamus. Modis etiam omnibus prohibemus ne quis successorum nostrorum filius aut heres, baillivus, serviens, prepositus, minister vel aliquis alius hiis elemosinis nostris sive donationibus, eas subtrahendo vel auferendo, vel minuendo aut detinendo, vexando vel disturbando vel commutando, vel aliquo modo alio contraire presumat. Et si quis eas in aliquo infringere aut perturbare attemptaverit, omnipotentis Dei et beate Marie et omnium sanctorum indignationem et gravissimam in die magni judicii sentiat ultionem, ac nostram simul censuram et maledictionem incurrat.

Testibus : Ricardo Cantuariensi archiepiscopo, Rogero Eboracensi archiepiscopo, R. Wintoniensi, G. Eliensi, J. Norwicensi episcopis, Richardo de Luci, Alberico comite de Clara, Willelmo comite Arondelle, Waltero Filio A[1]del[ini], dapifero, Th. filio Bern., Michaele Belet, Willelmo de Bendengis.

Apud Northamptonam.